

**318 LICINIO V ET CRISPO C. CONSS.**

**7 februari 318** Imperator Constantinus Sive pars sive integra dilatio fuerit data, eo usque iudicis officium conquiescat, donec petiti temporis defluerint curricula. Feriae autem, sive repentinae sive sollemnes sint, dilationum temporibus non excipiantur, sed his connumerentur CONST. A. PROFUTURO PRAEF. ANNONAE. D. VII ID. FEBR. SIRMI LICINIO V ET CRISPO CONSS.

**9 februari 318** Imperator Constantinus. A procedente iudice dilationem non convenit postulari, etiamsi utraque parte praesente tribuatur, cum non alias nisi causa cognita indulgeri queat et cognitio causae non interpellatione planaria, sed considente magis iudice legitime colligatur, et, si forte dilationis petitio fuerit improbata, suscepta quaestio per sententiam iudicis dirimatur. CONST. A. AD CATULLINUM PROCONS. AFRICAE. D. V ID. FEBR. SIRMI LICINIO V ET CRISPO CONSS.

**318** Constantinus et caess... Donatione secundum iuris normam perfecta nec ea quae matres in filios contulerunt revocari iura permittunt. Sane si generaliter tantummodo vel stipulatione interposita vel mancipatione totius patrimonii donatio celebrata est, id quod donatum est stare non potest, cum haec donatio ad id ut proprietas possit transferri non valeat. Quare num hoc modo tibi consuli possit, rectorem provinciae interpellare poteris... LICINIO V ET CRISPO CONSS...

**10 april 318** IMP. CONSTANTINUS A. FLORIANO PRAES(IDI). Veteranis, qui ex die V nonarum Iuliarum, cum prima per Thraciam victoria universo orbi inluxit, et qui postea aput Nicomediam nostram missionem meruerunt, certa per edictum indulsimus, quae scribendi tabulis vel encauto et cerussa conscribere detur eis licentia. Edictum autem continens indulgentiam nostram ad devotionem tuam misimus, ut et tua dicatio et cuncti alii recognoscant, quid praestitimus memoratis. P(RO)P(OSITA) IV ID. APRIL. LICINIO V ET CRISPO CAESARE CONSS.